
C. D. Frickenrich.

(præs. J. Deutschmann)

Mysteria Pentecostalia divinitus in Paradiso Genes. cap. I. II. III. revelata.

Witt. 1692.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 00779 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 779



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 00779 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 779


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 00779 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 779



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 00779 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 779



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 00779 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 779



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 00779 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 779

1,-62

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 00779 4

+REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 00779 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 779

IN NOMINE JESU!

PENTECOSTALIS PNEUMATOLOGIA PARADISIACA,

HOC EST,

MYSTERIA PENTECOSTALIA, DE SPIRITUS SANCTI OFFICIIS,

DIVINITUS IN PARADISO,

GENES. CAP. I. II. & III.

REVELATA, NOBISQVE TRADITA,

IN ALMA LEUCOREA,

PRÆSIDE,

VIRO

SUMME-REVERENDO atq; MAGNIFICO,

DN. JOHANNE Deutſchmann/

SS. Theol. Doct. & P.P. longè Celeberrimo, Facult: Theol: Seniore, ut & Alumn. Elector. Ephoro Graviſſimo, & p. t. Decano Spectatiſſimo,

DN. Patrono, Præceptore, Hoſpite & Affine ætatem ſuſpiciendo.

Publicæ & placidæ Eruditorum diſquiſitioni

Ad diem I. Julii, Anni M. DC. XCII.

ex Cathedra B. Lutheri,

ſubmiſſa

a

CHRISTOPHORO DIETERICO FRIEDENREICH, Alburgo-Dano.

WITTENBERGÆ, Prælô CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 00779 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 779

VIRUM
PLURIMUM VENERANDUM, CLARISSIMUM
PIETATE PARITER ATQVE DOCTRINA,
NEC NON OPTIMIS IN ECCLESIAM MERITIS
EGREGIE CONSPICUUM
DN: MAGISTR: HENRICUM
STEMPE
VERBI DIVINI PRECONEM FELICISSIMUM,
ECCLESIARUM HORSENS, HAMMER &c.
&c:
PASTOREM DIGNISSIMUM
FAUTOREM, MECENATEM &
IN CHRISTO PATREM
SINCERE COLIT & OBSERVAT,
Officio pergram tenui
Magnitudinem obseqvij testatam
relicturus
& bene merendi saltem voluntate
concessurus nemini
Christoph. Dieterici Friedenreich
SS. Th. Cand.

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO PENTECOSTALIS PARADISIACA, DE SANCTI SPIRITUS OFFICIO.

I.

VIdimus hactenus *Officii Pentecoſtalis fundamenta*, vel *principia*, certo ſuo genere, quæ ſunt *Attributa*, ſeu *Proprietates*, & *Axiomata*, qua ratione tum *Abſoluta*, qvoad *Entitatem*, *Spiritualitatem*, & *Deitatem*, Spiritus Sancti conſideravimus *Attributa*, ſicut & *Reſpectiva*; nunc igitur ad *Officii Pentecoſtalis Capita*, bono cum Deo, procedimus.

2. *Materiam* hic ampliſſimam de *Sancti Spiritus Officiis*, in *Hiſtoria Paradiſiaca*, reperire, latiſſimumqve, ſecundum *emphaſin verborum*, tractationis campum intrare poſſemus, ſi doctrinam hanc, qvoad *dignitatem*, *jucunditatem*, rerum, & myſteriorum *ubertatem*, ac immenſam *utilitatem*, & variam *commoditatem*, copioſius expolire vellemus. Sed quia *Myſteria Pentecoſtalia Sancti Spiritus*, ex hiſtoria Paradiſi, juſto latius, & præter inſtitutum, excreverunt, brevioribus lineis neceſſaria perſeqvemur.

3. Nos modo, ſecundum *Capita*, procedemus, & *Officia Sancti Spiritus*, cumprimis qvoad *Caput I. II. & III.* breviter exponemus, ea de cauſa, qvia ſatis dilucide nobis *Officia Sancti Spiritus* exhibentur, (I) *Ex Cap. I.* qvoad *Operum divinorum Productionem*, vel *Creationem*. (II) *Ex Cap. II.* qvoad *Operum divinorum Continuationem*, & *Conſervationem*; & (III.) *Ex Cap. III.* qvoad *Hominum Reſtaurationem*.

4. Circa *rerum productionem*, ex *Capite Primo*, Spiritui S. tribuimus I. *Officium Creationis*, qvia, tanqvam *Elohim Tertius*, Spiritus Sanctus cum Elohim *Primo*, atqve *Secundo*, creavit *cœlum*, & *terram*. Et certe, *Spiritus Sanctus* alias, tanqvam *Creator*, manifeſtatur, *Pſal. XXXIII. 6. CIV. 30.* ubi *Creandi* verbum adhibetur, & *Spiritui Sancto* tribuitur: *Emittes Spiritum tuum, & CREABUNTUR, & renovabis faciem terræ.* Conf. *Eſa. XL. 12. 13. 14.* Imo

 non

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 00779 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 779

non tantum *Myſtica rerum productio Spiritui Sancto* tribuitur, & *prima* creatio, qvæ fit ad *regnum potentiæ*, ſed etiam *myſtica peccatorum Creatio*, vel *recreatio*, qvæ reſpicit, & parit, *regnum gratiæ*, ſicut dicitur, *Pſal. LI. 12. Cor mundum in me crea, Deus, & Spiritum rectum innova in viſceribus meis:* imo nos *regenerat*, & ſpiritualiter *creat*, non ſolum ad *regnum gratiæ*, ſed etiam ad *regnum gloriæ*, qvia, *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & SPIRITU, non poteſt ingredi regnum cœlorum, Joh. III. 5.* & per Spiritum *creati ſumus in Chriſto Jeſu, ad bona opera, Epheſ. II. 10.* qva de cauſa *Spiritus Sanctus* etiam *creare* dicitur *novos cœlos*, & *novam terram*, *Eſa. LXV. 17.* & Creator eſt *novæ Jeruſalem*, & omnium eorum, quæ futura ſunt in ea, ſicut mox addit apud Prophetam, per qvem *Spiritus Sanctus* loqvitur, *II. Petr. I. 21.* Sic enim *Eſaias* pergit, v. 18. *Gaudebitis* (nim. in cœlis novis, & terra nova,) *& exultabitis usq; in ſempiternum, in his, quæ Ego CREO: qvia ecce Ego CREO Jeruſalem exaltationem, & populum ejus gaudium: Et exultabo in Jeruſalem, & gaudebo in populo meo: & non audietur in eo ultra vox fletus, & vox clamoris.* &c. Sic ergo *Spiritui Sancto* competit *Officium Creationis*, & qvoad *Regnum Potentiæ*, ſicut & qvoad *Gratiæ Regnum*, & qvoad *Gloriæ Regnum*.

5. Qvod autem *Spiritui Sancto* competat *Officium primæ Creationis*, illud, juxta Caput *Geneſeos primum*, potiſſimum attendendum. Breviter illud ſaltem demonſtramus, (1) *Ex Hiſtoria Creationis initio*, dum hæc prima ſunt verba Moſis: In principio creavit Elohim (plures, ob pluralem numerum, & ſecundum *immediatam Moſis interpretationem*, v. 2. *Elohim duo* Spirantes, Pater, & Filius, & unus, vid. *Tertius* Elohim, Spiritus Sanctus: atqve ſecundum *mediatam textus explicationem*, atqve *determinationem*, vel *reſtrictionem*, *Tres*, Elohim *Dicens*, Elohim *Faciens*, Elohim *Videns*,) cœlum, & terram: qva ratione *Spiritus Sanctus* ſtatim ab *initio*, vel ſub *ingreſſu Creationis* Hiſtoriæ, verum *Officium Creationis* habere dicitur. (2) *Ex Hiſtoria Creationis medio*, quia, qvoad *continuum curſum Hiſtoricum*, in deſcriptione *Creationis*, Spiritui Sancto *Creationis Officium* ſæpius tribuitur, *tum* qvoad *creatricem*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 00779 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 779

incubationem, v. 2. tum *à priori* creaturas *intendendo*, *fovendo*, *movendo*, &c. qvoad *præparationem*, ad creaturarum productionem plurimum conferre dicitur: *tum* qvoad *creatricem cooperationem*, v. 3. ſeq. dum nec ab *Elohim Dicente*, nec ab *Elohim Faciente*, Spiritus Sanctus excluditur, quia *Dicens* ſine *Spiritu* minimè dicit, neq; *Faciens*, ſine *Spiritu*, quicquam efficit; ſed tam ad *Dicere*, quam ad *Facere Spiritus* cauſaliter concurrit, multo magis ad *Dicere Creationis*, & ad *Facere Creationis*, Spiritus Sanctus concurret, cum ſit *oris Jehovæ creantis Spiritus*, *Pſ. XXXIII. 6.* & *Facientis Conſiliarius*, & *cooperarius*, *Eſa. XL. 12.13.14.* tum quoad *creatricem Viſionem*, vel *Confirmationem*, à *poſteriori*, quia dicta, & facta *vidit*, *opera*, tum explorando, tum probando, tum approbando, tum confirmando, tum obſignando, &c. (3) *Ex Hiſtoriæ Creationis termino*, quando dicitur: *Vidit Elohim cuncta, quæ fecerat, & ecce valde bona fuerunt.* v. 31. Hic autem *Videns Elohim* eſt *Tertius*, adeòq; vere *Spiritus Sanctus*, & tamen omnia feciſſe dicitur, & in *luſtratione*, tanqvam bona, ſumma cum prudentia, reperiſſe.

6. II. *Officium peculiaris incubationis*, quia *Spiritus Elohim incubabat aquis*, v. 2. idqve citra dubium, juxta ſeqventem omnium dierum *analogiam*, poſt operationem *Elohim Dicentis*, quia Deus etiam ex decreto dixit: *Fiat cœlum, & terra*, vel *maſſa* quædam *rudis*, & *indigeſta*; poſt *operationem Facientis* Elohim, qui *fecit* cœlum, & terram; ſic etiam *Tertius Elohim* aquis *incubuit*: adeoque talis *incubationis actus* peculiare deſignat *Spiritus Officium*, quod alias non inconvenienter *Spiritui Sancto*, tum in ſeqventibus, tum etiam in aliis Scripturæ locis, tribuitur; nam v. 4. ſeqq. *Elohim* officialiter *Videns* judicatur, quæ *viſio practica* pariter per *oculos*, ſive *proprios*, ſive *figuratos*, radiis *viſivis* ſuper *objecta videnda*, non inconvenienter *incubat*, ſicut Germani dicunt: mit den Augen auf einen halten/ die Augen auff etwas werffen/ legen/ ſetzen/ &c. Nec *Diei Spiritus* abludit, c. III. 8. cum *dies* etiam, tanquam *vera lux*, ſuper *objecta lucida* feratur, ponatur. &c. Nec alia *Symbola Sancti Spiritus* aliud inſinuant. Nam ſicut *columba* dicitur ſuper *Chriſtum veniſſe*, & ſuper *eo manſiſſe*. Matth. III. 16. Marc. I. 10. Luc.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 00779 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 779

III.22. Joh. I.33. Sic etiam *Spiritus Sanctus* in *vento* venit ſuper Apoſtolos, & in *linguis ignitis* ſuper eos ſedit, & illis *incubuit*, ut *mentes*, *voluntates*, & *linguas* eorum moveret, & ad *magnalia Dei* prædicanda commoveret, Act. II. 2. ſeqq. Quæ ſatis aperte demonſtrant, quod hoc officium peculiaris *incubationis* à *Pentecoſtalibus Spiritus officiis*, atque *donis*, non ſit alienum, ſicut paſſim *Spiritus* dicitur in *Heroas*, atque *Prophetas*, & alios θεοπνεύςους irruiſſe, ſuper eos veniſſe, vel in eos cecidiſſe.

7. III. *Officium peculiaris Viſionis*, quæ *Viſio* rurſus oſtendit *characteriſticum* quoddam *Sancti Spiritus Officium*, quod eſt (1) *peculiaris terminationis*, ſicut patet ex ipſis *Operibus Dei* cardinalibus, dum *Patri* Creatio, *Filio* Redemtio, *Spiritui Sancto* Sanctificatio; vel Patri *primum*, Filio *medium*, & Spiritui Sancto poſtremo *tertiū* opus, & *ultimum* tribuitur, & ab, vel in eodem omnis *operatio* terminatur. (2) *peculiaris conſecutionis*, quia *Dicentem* Elohim ſequitur *Faciens*, vel *Dictionis effectio*; ſic etiam neceſſario ſequitur *Viſio*, tum *Dictionem*, tum *effectionem*: nam quod *decretum*, cogitatum, & *dictum* non eſt, illud non ſolet, ſæpius etiam non poteſt *fieri*: quod autem *factum* non eſt, illud non poteſt *videri*. (3) *peculiaris luſtrationis*, quia videndo *luſtramus*, & *luſtrando* videmus, & Spiritus Sanctus eſt *inſpector vitæ*, *cogitationum*, & *cordium*, ſicut de ipſo *Jacob* dicit: *Elohim, in cujus conſpectu ambularunt Patres mei*, Gen. XLIIX. 15. (4) *peculiaris probationis*, quia Spiritus potiſſimum *artificia*, vel *effecta*, ſolet *probare*, vel *examinare*, (5) *peculiaris approbationis*, & comprobationis. (6) *peculiaris ordinationis*, dum opus luſtratum, & probatum, & approbatum, ad ſuum debitum ordinem, locum, & ſcopum, ordinatur, & ad uſum in mundo genuinum applicatur.

8. *Ex Capite Secundo* tantum *unum*, illudqve notiſſimum *Officium* Spiritui Sancto, juxta v. 3. textum, appropriamus, nim. *Officium Sanctificationis*, quod alias *ordinarium*, & *uſitatiſſimum* ejus eſt *Officium*. Ubi tamen obſervanda, (1) *propria hujus ſanctificationis occaſio*, quæ deſumitur ex *relatione* tum *Primi*, tum *Secundi Elohim*, nim. (a) quia *Primus Elohim* res omnes, vel, ut loqvitur v. 1.

omnes

omnes Exercitus cœlorum *creavit*, & *conſummavit*, ita citra dubium, ad gloriam *Creatoris*, per ſanctificationem omnes erant ordinandæ. Nam ipſum *Eſſe* ſeqvitur *Noſſe*; τὸ *Noſſe* ſeqvitur *Velle*; τὸ *Velle* ſequitur *bonum* velle, cum *bonum* ſit immediatum, & adæquatum *Voluntatis Objectum*: nullum autem *bonum* eſt Nobilius *Deo*, vel *Creatore*, qvoad *Bonum perſonale*; nec ullum *bonum reale* melius, & utilius eſt *ſanctificationis*, *adorationis*, *celebrationis cultu*, dum ad *gloriam* Dei tendit omnis *ſanctificatio*. (b) quia *Secundus Elohim* v. 3. *Benedixit* Creaturis. *Benedictio* divina ſummum eſt *beneficium*: *beneficium* datur propter *officium*. Nam *beneficium accipere*, nihil aliud eſt, quam *obligationem ſuſcipere*, ſicut alias dicitur: *Beneficia accipere*, nihil aliud eſt, quam *libertatem vendere*, vel aliis ſe totum obligatum agnoſcere, vel reddere, dum ei vivimus, aut vivere debemus, in cujus beneficiis vivimus: ſicut iterum ex *Vaſallis* videre licet, qui propter *feudorum beneficia*, ſuis Dominis obligati ſunt ad *obſequium*, ad *ſervitium*, ad omne *gratitudinis debitum*: Dum ergo *Secundus Elohim Benedixit* Creaturis, illæ propter hanc *benedictionẽ*, *obligationis* vinculũ receperunt, & tum Deo *Creatori*, tum *Benedictionis Autori*, vel *Collatori*, laudẽ, & gloriam omnem, dare, vel nomen ejus *ſanctificare*, *laudare*, *celebrare*, *glorificare* debuerunt, quod ſine *Spiritu Sancto*, tanquam *Sanctificationis Autore*, facere neque voluerunt, neque potuerunt, cum ipſe paratiſſimus ſit ἐιγοδιώκτης, ita quidem, ut hodie ſine Spiritu Sancto *Jeſum* ne quidem *Dominum* appellare poſſimus, aut velimus, *I. Cor. XII. 3.* dum operatur in omnibus omnia. v. 6.

9. (2) *Propria ſanctificationis hujus ratio*, quia ſanctificavit *diem ſeptimum*, dum in ipſo ceſſaverat ab omni opere ſuo, quod creavit Deus, ut faceret: ubi notamus, (I) *Sanctificationis Dominum*, qui *Tertius* eſt *Elohim*; ſicut enim *Primus Elohim conſummavit* opus omne die ſeptimo, quod fecerat, & requievit die ſeptimo ab univerſo opere, qvod patraverat, v. 2. *Secundus Elohim* itidem *benedixit*, tanquam *Benedictionis Orator*, atque *Collator*, omnibus his operibus, & quidem in *ſanctiſima relatione*, ad diem *ſeptimum*, qui debebat eſſe *dies*, tum *divina quietis*, tũ *divina cognitionis*, *contempla-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 00779 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 779

tionis, & *meditationis*, tum *divinæ laudis*, & *celebrationis*, tum *divinæ ſanctificationis*, & *glorificationis*: ſic etiam *Tertius Elohim ſanctificavit* formaliter, & actualiter, *Diem ſeptimum*, (1) ratione *ſui*, videl. ut ipſe *dies ſeptimus* eſſet *ſanctus*, & *ſanctificationi Nominis* divini datus, dicatus, dedicatus, conſecratus, & omni *ſolennitati* deſtinatus, ut eſſet *Domini Dies*, ſicut alias *dies* hic *ſanctus* appellatur. Ubi notandum, qvod reliqui *ſex dies* fuerint *creaturis* appropriati, quia Dominus Creator his *ſex diebus* creaturas produxit, & illas omnes, ſecundum cujusque materiam, *facultates*, & *activitates*, pulcherrime formavit, & exornavit; ſed *dies ſeptimus* Domino, ceu *ſacer*, appropiandus erat, ſicut *Jehova Elohim*, tanquam legislator, in ipſa Decalogi ſanctiſſima promulgatione ſonora voce de monte Sinai proclamavit. *Exod. XX. 9. Memento, ut diem Sabbathi ſanctifices, ſex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: ſeptimo autem die, Sabbathum Domini Dei tui eſt: non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, & ſervus tuus, & ancilla tua, & jumentum tuum, & advena, qui eſt intra portas tuas: ſex enim diebus fecit Dominus cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt, & requievit in die ſeptimo: idcirco benedixit Dominus diei Sabbathi, & ſanctificavit illum.* Cernimus hic, qvod iterum hæc *tria* ſe mutuo ſequantur verba, *Facere*, & à faciendo *requieſcere*, quæ duo conjungenda veniunt, *Benedicere*, & *ſanctificare*. (2) ratione *ſubjecti*, quia *dies* tempus eſt, & *adjunctum* omnis creaturæ, qvæ reperitur in cœlis, & in terris: nam dies non eſt propter *ſe*, ſed propter *creaturas*, nim. propter corpora naturalia, quæ cumprimis hoc *die* Dominico debent eſſe ſanctificata, divinisque *cultibus*, propter *Dominum*, deſtinata, cum ampliſſima conſpiciatur in creaturis Optimi *Creatoris memoria*, maximiqve Benefactoris *Gloria*. Sic ergo *dies* dicitur *ſanctificatus*, ut omnis in eo creatura ſanctificetur ad *religioſam* θεογνωσίαν, ut in, & ex omnibus creaturis Deum rectius cognoſcamus, planius agnoſcamus, & plenius, qvoad fieri poteſt, pernoſcamus: ad *religioſam* εὐχαριστίαν, ut continuas Deo *Conditori*, *Conſervatori*, ſimulque *Benefactori*, *gratiarum laudes* pro cunctis beneficiis, in creaturis manifeſtatis, offera-

feramus: ad *religioſam* δοξολογίαν, ut Deum benefactorem indeſinenter pro *beneficiis* innumeris, & inæſtimabilibus, celebremus, & glorificemus. (3) ratione *modi*, qui conſiſtit in *ſanctificatione*, quæ facilius allegatur, quam explicatur, dum omnem *religioſum Dei cultum*, & quicquid creaturarum erga creatorem pro tantis beneficiis dari poteſt, debiti, vel officii.

10. (II) *Sanctificationis artificium*, Sanctificavit: *Tempus* erat *Phyſicum*, & *naturale*, non *ſanctum*, vel *ſpirituale*: *corpus* omne, quod erat in tempore, pariter erat *Phyſicum*, & *naturale*, non *ſanctum*, & *ſpirituale*: ſuum habebat unumquodlibet *locum in mundo*, ſuum *ſitum*, & locum, in *Univerſitate rerum*, ſuum *ſtatum* in *Entium diverſitate*, vel ordine. *Creatura* quælibet verum *Ens* erat, adeoque ſibi convenientem naturam à Creatore jam acceperat, ſuas proprietates, & facultates, obtinuerat, ſuas pariter energias, & activitates, ſuſceperat: hac ratione tum in ſua *quidditate*, tum in ſua *qualitate*, tum in operationis *utilitate*, florebat, & per ſe beneficio Creationis exiſtebat, & ſuam tum *veritatem*, tum *bonitatem*, tum *jucunditatem*, tum *utilitatem*, ſuſtinebat, quia Deus viderat omnia, quæ creando fecerat, & ecce, valde bona ſic erant: erant *bona* tum *ſibi*, tum *mundo*, vel *univerſitati* toti, tum *creaturarum ordini*, cumprimis autem *homini*, propter quem, ceu *Microcoſmum*, & rerum Creaturarum optimum *ſcopum*, tum omnia, tum ſingula producta fuerant: ſed erant hac ratione tantum *creata*, tantum *exornata*, tantum *ordinata*: verum nondum erant *relata*, ſummo fini *deſtinata*, verè *ſanctificata*, *Gloriæq́ Creatoris* dedicata: *Dicta* fuerant, quoad Creationis *dexteritatem*, *Benedicta*, quoad exornationis *varietatem*: ſed nondum erant *ſanctificata*, quoad *ſummi finis* auguſtam *Majeſtatem*. Omnia ſiquidem *cauſaliter* erant à *Deo*, ſic & omnia *finaliter* tendebant ad *Deum*, quippe qui rerum omnium eſt principium, & finis, *Apoc.* 1.8. omnium *Autor*, & *Conſummator*, omnium *Fabricator*, & *Collimator*, qui res omnes ad ſeipſum collimare facit. Hoc præſtare debebat *Sanctificatio*. Nam ſicut per *Creationem* res omnes *à Deo* progrediuntur ad *mundum*, ita per *ſanctificationem* eædem res omnes *à mundo* regrediuntur

untur

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 00779 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 779

untur *ad Deum*, & ſic redit ad Dominum, quod fuit ante ſuum. Et hoc eſt, quod *Tertius Elohim* ſua ſanctificatione, tum *finaliter* intendit, tum *formaliter* attendit, tum *cauſaliter*, omni ſtudio, medio, modoq; promovere contendit. Et hæc eſt *ultima* rerum omnium *perfectio*, *meta* pariter ultima, *finis* ultimus. Per *creatricem Dictionem*, *Elohim primi*, res omnes aſſecutæ ſunt ſuam eſſentiam, & quæ ſunt Eſſentiæ: per *benedictionem Elohim Secundi* pariter conſecutæ ſunt ſuam elegantiam, & proprietatum variarum abundantiam: ſed per ſanctificationem *Elohim Tertii*, nunc adipiſcuntur ſummam *excellentiam*, *eminentiam*, & *gloriam*. Majorem enim *gloriam* objecta *mundana* neque poſſidere poſſunt, aut debent, quam ſi *Dei* fiant, atque ſint, & ad ejus *gloriam* aliquid conferre poſſint. Sunt enim hac ratione *Dei*, *gloriæq; divinæ ſigna*, vel *ſymbola*, quæ gloriam divinam luculenter ſignant, & indicant: Fiunt, & ſunt, hac ratione *Dei*, *gloriæq; divinæ ſpecula*, dum non modo faciunt ejus luculentum *indicium*, ſed etiam evidentiſſimum ejus exhibent *conſpicilium*, ut in iis *Gloriam* divinæ *Potentiæ*, Gloriam divinæ *ſapientiæ*, Gloriam divinæ *bonitatis*, ſicut & alias, non obſervare modo, ſed etiam adſpectare pulcherrime liceat. Fiunt, & ſunt *Gloriæ divinæ* celebrandæ, vel multiplicandæ *motiva*, ſimul & *media*. Movent *Angelos*, & *Homines*, ad Dei glorificationem, & *objecta*, vel etiam *media*, ſiſtunt ad hominis divini ſanctificationem. O quam *multa*, quam *magna* paterent hic ſanctificationis hujus *argumenta*, vel *documenta*, ſi meditationibus his piis de ſanctificatione *prima Spiritus* diutius indulgere liceret: ſed longe plura laterent, & abſcondita manerent ſanctificationis hujus *arcana*, quæ nec mentibus humanis indagare, nec lingvis humanis enarrare, vel explicare liberet, cum imbecillitatis noſtræ ſemper ſimus, & eſſe debeamus memores.

11. Hoc unicum adjiciendum eſſe videtur, quod hoc *primæ ſanctificationis inſtitutum* reſpiciat *Creatorem Jehovam*, non autem *Redemtorem Meſſiam*, quod non ſit *regni gratiæ*, ſed *regni potentiæ*, quod non tantum ſit *Microcoſmi peccatoris*, ſed *Macrocoſmi teſtatoris*, (nim. de *potentia*, *ſapientia*, *bonitateq; Factoris*, teſti-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 00779 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 779

teſtimonium perhibentis,) non ſit *Macrocoſmi*, ſub *vanitate carnis patientis*, Rom. IIX. 21. ſed in *veritate* Dei *Creatoris florentis*, & *gloriantis*, non ſit *gratiæ*, ſed *naturæ*, non fiat per *verbum*, & *ſacramentum*, ſed per *creatricis ſanctificationis intentum*, non ſit *Evangelii*, ſed *legis*, non ſit *Spiritus recreationis*, ſed *creationis*, non *ſpiritualis reformationis*; ſed *naturalis formationis*, non *ſpiritualis regenerationis*, ſed *cauſalis generationis*, non *gratioſæ renovationis*, ſed *primæ fabricationis*, &c. Nam creaturæ tum omnes in *primo flore* vigebant, nondum autem *concreatum florem* per miſerrimum hominis *lapſum* amiſerant, adeoque pulcherrima quadam harmonia ſemper ad hanc Creatoris ſanctificationem contendebant.

12. (III) *Sanctificationis Exodium*, quia certum eſt, quod omnis ſanctificatio *Diei ſeptimi*, vel etiam omnium creaturarum in *ſeptimo die*, non tam creaturas reliquas, quam reliquarum creaturarum omnium ſcopum, ipſum Microcoſmum, Hominem, finaliter reſpexerit. Sicut enim propter hominem ab *Elohim Primo* Creatore Dicta ſunt, & facta, vel creata, vereque per *Elohim Benedicentem*, ſeu *Benedictionis Creatricis Oratorem*, & *Diſpenſatorem*, vel *Collatorem*, omnia propter hominem, vel in ejus uſum, atque fructum, variis benedictionibus exornata fuerunt: ſic etiam per *Elohim Tertium ſanctificantem* non propter alium finem, quam propter hominem, ad ſanctificationem, vel Nominis divini glorificationem, deſtinata fuerunt. Ipſe *Jehova Elohim* verborum ſuorum optimus eſt interpres, & quidem non tantum alibi locorum in ſacris literis, ſed potiſſimum in auguſta Decalogi promulgatione, ſufficienter hoc exponit, prout ex *Exod XX. 9. ſeqq.* verba diſerta §. 9. recitavimus, qvo loco ſolenniter hæc omnis ſanctificatio verbis exſertis ad Hominem accommodatur. Et præterea *Pſalmiſta* paſſim hoc ſecretum nobis aperit, & artificia divina præſentis ſanctificationis variis exemplis oſtendit, quod nim. homines creaturas ad laudem, glorificationem, & ſanctificationem Divini Nominis excitare, ſimulqve pariter in creaturis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 00779 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 779

laudes divinas ſtudioſius indagare, cunctaqve pariter, quæ ſunt in creaturis, ad Nominis ſanctificationem, celebrationem, & glorificationem, convenienter uſurpare debent, qvod certe multis *Pſalmis* ad oculum demonſtrare poſſemus, ſi plura nunc adjungere præcedentibus vellemus.

13. Ex *Capite III. Geneſeos* nunc etiam *Officia Spiritus Sancti* perſequi placet. Siquidem hoc eſt illud *Caput*, quod primum *Officinam Catholicam* Sancti Spiritus aperuit, *fundamenta* toti *Eccleſiæ* poſuit, omnium *fidelium* ſeminarium: in hoc *Capite* primum *Spiritus Sanctus* circa miſeros peccatores utiliſſimum, & ſaluberrimum *Officium* adhibuit, & media veræ *pænitentiæ*, *ſalvificæ fidei*, vel ipſius *ſalutis* propoſuit, & in *ſubjectis* peccantibus, verè *pœnitentibus*, atque credentibus, exercuit: in hoc *Capite* primum ipſe *Spiritus Sanctus Pentecoſtalis* factus eſt *Officialis*, dum ea ſuſcepit, & expedivit omnia, quæ facerent ad *Protoplaſtorum*, & omnium in iis *poſterorum*, *reſtaurationem*, & ad Deum *reductionem*. Nos igitur, ipſo *Spiritu Sancto* Duce, vel Doctore, vel Revelatore, ſeu Dictatore, nonnulla ita de talibus *Officiis* producemus, &, quoad fieri poteſt, breviter exponemus.

14. Dicimus autem, quod *Officium Spiritus Sancti Pentecoſtale*, juxta præſens *Caput*, ſit vel *Generale*, vel *Speciale*. *Generale* dicitur, quod in genere *lapſum*, & reducendum hominem, reſpicit, & hac ratione non unus datur *Generalis reſpectus*, (a) alius reſpectu *Dei reſtaurantis*; (b) alius reſpectu *Hominis Reſtaurandi*; (c) alius reſpectu *mediorum reſtaurationis*; (d) alius reſpectu *modi reſtaurationis*; (e) alius reſpectu *metæ*, vel *finis reſtaurationis*.

15. Reſpectu *Dei Reſtaurantis generale* reperitur *Officium præſentisſimæ Pentecoſtalis manifeſtationis*, & *apparitionis*, quia dicitur, quod *Spiritus Diei* præſentisſime venerit, adventu præſentiſſimo ſe manifeſtaverit, & ut *Diei Spiritum* ſe protoplaſtis exhibuerit, atque ſuo modo convenienter ipſis apparuerit. Ubi notanda ſunt inprimis hujus *manifeſtationis*, & *apparitionis ſymbola*,

qua-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 00779 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 779

qualia ſunt:(a) *Symbolum Spiritus*, (b) *Symbolum Diei*, quia *Spiritus Sanctus* iis innotuit, ut *Diei Spiritus*, & pentecoſten paradiſiacam, ut talis, inſtituit: hac ratione *ſymbola* talia ſunt, (1) *Symbola primum inchoativa*, quia *Pentecoſtalis* ἐργοδιώκτης, illis apparuit *partim* ut *Spiritus*, qui moveret omnia corrupta *cauſaliter* ad *corruptionis ceſſationem*, & ad *perfectionis reſtitutionem:* nam quamdiu *lapſa*, vel *corrupta* tum *jacent*, tum in *corruptione* ſua manent, & ſordent, nihil in iis ſpei videtur, nihil in iis boni deprehenditur; ſed quamprimum ex lapſu moventur ad reſurrectionem, & ex corruptione moventur ad *reſtitutionem*, tunc nova ſpes oritur, & amiſſæ perfectionis reſtituendæ primum indicium fieri dicitur. *Protoplaſti* noſtri poſt *lapſum jacebant*, & ſerpentis ſub dominio *gemebant*, inter arborum denſiſſima *latebant*, & & in corruptione *ſordebant*, & nihil ſpei, reique nihil, ad ſui reſtitutionem concipiebant, nihil ejus noverant, atque poterant: ſed quamprimum *Diei Spiritus activus* accedit, & motionem ſuam myſticam inſtituit, repente *vetus* in *novum* ſtatum permutatur. Mortuum corpus non movetur, ſine *Spiritu:* ſed *Spiritu* veniente, vereqve movente, mortuum vivificatur, *Spiritu* donatur, & ad vitales, animales, ac rationales motus animatur. Partim ut *Diei Spiritus*, quia per lapſum meræ *mortis tenebræ*, meræ *peccatorum caligines*, mera *ſpiritualis* nox *Macrocoſmum* obſcurabant, potiſſimum autem *Microcoſmum*, peccatorem miſerrimum, totaliter occupabant, & deformabant: *Spiritus* igitur *Diei* tenebras pellere, caligines rejicere, *noctem* invertere, Diemqve Regni Gratiæ promovere volebat, ut *nova lux* oriretur, *novum lumen* ſpargeretur, *illuminatio nova*, per *Diei Spiritum*, inchoaretur, atq; totum Gratiæ Regnum, ac in eodem fideles illuminarentur. (2) *Symbola* ſemper continuativa, quia *Pentecoſtalis hoſpes* uti cœpit his *ſymbolis* ſuum *officium*, nim. & *Spiritu*, vel *motu*, & *die*, ſive *lumine*, vel *illuminationis actu*; ſic etiam per omnia ſecula *Symbolis* iisdem Gratiæ regnum in omnibus *fidelibus*, cumprimis in *Prophetis*, & aliis Eccleſiæ Miniſtris, continuavit, id quod per omnia

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 00779 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 779

mnia ſecula, per omnia Biblica ſcripta prolixe declarari, vel demonſtrari poſſet, niſi res omnis in vado verſaretur: nam ad *Prophetas* venit, in eos incidit, vel irruit, eosque *motu prophetico*, *Spiritus* inſtar, commovit, ac ſimul etiam *verbum* adſpiravit, inſpiravit, ut *myſticum* aliquod *lumen* effunderet, quo *diem myſticum* in iis inchoaret, quod artificium *Petrus* admiratur, *II. Petr. I. 19. 20. 21.* ubi clariſſime talia nobis exponuntur. (3) *Symbola* tandem *conſummativa*, quia dum *Catholica Pentecoſte* N. Teſtam. conſummaretur, *Actor. II. 1.* venit *Autor*, & *hoſpes Pentecoſtalis* non in aliis *Symbolis*, quam in hiſce primis, & omni tempore continuis, omnibus populis, ex omni natione, quæ ſub cœlis eſt, congregatis, & admiranda Dei providentia, vel conſilio, convocatis: ſed venit tum ut *Spiritus*, ſeu *Ventus*, tum ut *lux*, vel *ignis*, atque dies, quia *factus eſt repente de cœlo, tanquam advenientis SPIRITUS vehementis, & replevit totam domum*, (ſicut Gen. III. totum paradiſum, & alias totam Eccleſiam, myſticam Dei domum, I. Tim. III. 15.) *ubi erant ſedentes, & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tanquam IGNIS,* (lux, & Dies,) *ſeditq; ſuper ſingulos eorum*, ut ipſorum *corda, lingvasq;* moveret, & *igne*, vel *die gratioſæ lucis*, adimpleret. Sic igitur *Diei* talis *Officialis* fit ſua gratioſa præſentia, gratioſæ ſuæ lucis adventu, & actu, ut bene negotium omne feliciter in expeditionibus *Pentecoſtalibus* inchoetur, felicius continuetur, & feliciſſime conſummetur.

16. Reſpectu *Peccatoris reſtaurandi* reperitur *Officium Pentecoſtalis ſpirationis*, & *motionis*, quod itidem eſt *generale*, dum *peccator* totus totus in fecibus peccatorum ſuorum jacet, & ſordet, neque ſe per ſe movere, ſeu commovere valet: mortuus eſt in peccatis, *Eph. I. 1.* & non modo languidus, & ægrotus, ſed nullus ad ſpiritualiter agendum, cum nulla prorſus in ipſo vel ἱκανότης, vel idoneitas ſit, *II. Cor. III. 5.* qua ratione *Spiritus Sanctus*, ex propria ſua vel conditione, vel originatione, *ſpirat*, & ſpirando potenter incubat, incubando motitat, & agitat, &c. *Gen. I. 2.* Sicut enim rudis erat, & inepta prorſus maſſa chaos, ad ipſam creationem

tionem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 00779 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 779

tionem; ſic homo peccator rudis, & minus proportionata maſſa ad ſpiritualem recreationem, & reſtaurationem. *Subjectum*, ratione peccatorum, immobile per Spiritum fit mobile: *Subjectum* תהו ובהו fit lux, & dies, à Spiritu Diei: Subjectum nullum fit omne, ſubjectum ineptum fit aptum, ſubjectum mortuum fit vivum, ſubjectum jacens fit ſurgens, ſubjectum iræ fit gratiæ, ſubjectum noctis fit Diei, &c. Movet autem hic Spiritus Diei peccatoris *animam*, & *corpus*, *intellectum*, & *voluntatem*, *libertatem*, & *appetitum*, *oculos*, & *aures*, *cor*, & *os*, *manus*, & *pedes*, breviter, omnia. Hæc certe magna ſunt Spiritus, & Motoris Pentecoſtalis *Officia*, vel etiam Beneficia.

17. Reſpectu *Mediorum* quoque Spiritui Sancto tribuitur *Officium revelationis.* Nam Deus, vel ipſe Spiritus Sanctus, circa peccatorem, tanquam *Subjectum* reſtaurandum, non verſatur ſine mediis, ſed potius certis utitur mediis, juxta regulam vulgatam: *Deus cum hominibus peccatoribus in negotio converſionis, & ſalutis, non agit ſine mediis, ſed per media*, quæ ſunt hodie *Verbum*, & *Sacramenta*: ſed in paradiſo fuerunt *verbum*, & *ſacrificia*, quæ fuerunt olim *Sacramentorum* temporibus primis *vicaria*. Sed de his *medijs* protoplaſti nihil cognoviſſent, nihil cogitaſſent, nihil exoptaſſent, nihil expectaſſent, niſi Spiritus Sanctus illa media revelaſſet, cum ſit Spiritus revelationis, Eph. I. 17. dum ipſe propterea ſcrutatur τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ, ſecretas Dei profunditates, ut nobis eas revelet, I. Cor. II. 10. Sine Revelatione Spiritus Sancti nulla dantur, nulla conſiderantur, nulla pariter applicantur converſionis, & ſalutis media: Ex revelatione vero Spiritus Diei talia media myſtica non amplius latent, ſed patent, vereqve vigent, & in uſu ſuo florent, imo cuncta commoda nobis præbent, & augent, hæc ſalutis media.

18. Reſpectu *Pentecoſtalium Exercitiorum*, vel *actuum*, Spiritui Sancto tribuitur *Officium Operationis* quia Spiritus Sanctus ſubjecta *mortua* non modo movet, & inſpirat, neque *media* ſaltem revelat, atque manifeſtat, ſed tanquam Spiritus ipſa *media* ſubjectis actualiter appropriat, & accommodat, quoad actus my-

 ſticos,

ſticos, quorum ipſe *primus*, *medius*, & *ultimus* eſt *autor*, cum *ſine Dei Numine*, *nihil ſit in homine*, ſiquidem ipſemet in omnibus operatur omnia, I. Cor. XII. 6. ipſe dat in hominibus *velle*, dat *perficere*, pro bona ſua voluntate, Phil. II. 13. Hinc etiam Spiritus Sanctus in omnibus dicitur ἐργοδιώκτης.

19. Reſpectu *Pentecoſtalis metæ*, ſeu *finis*, *Officium* quoque *Directionis*, & *Conſummationis* Spiritui Sancto tribuitur. Sicut enim in opere *Creationis*, Spiritus, vel *Elohim Tertius*, non fuit *Elohim Dicens*, creationem inchoando; nec *Elohim Faciens*, opus producendo, vel elaborando, ſed *Elohim Tertius*, & *Videns*, opus terminativè luſtrando, & approbando, in univerſitate rerum ordinando, vel conſummando: ſic etiam *Spiritus* eſt *Diei*, qui totius *Diei regni Gratiæ Præſes* eſt, eumqve non tantum apud homines inchoat, ſed & conſummat, prout exempla Protoplaſtorũ clariſſime docent, dum ipſe Spiritus Sanctus in omnibus eſt, & manet *Director*, & omni conſummationis *Promotor*, quod pluribus oſtendere modo nolumus.

20. *Specialia* magno numero notari, multisque modis ex hoc capite declarari poſſent, nos autem paucis illa tangere cogimur. Duas autem potiſſimum claſſes eorum conſtituimus, cum *alia* ſint *ſpecialia*, ratione ſpecialis textus, alia ſint *ſpecialia*, ratione ſpecialis uſus: illa recenſentur quoad *ordinem textus*, hæc autem quoad *diverſitatem uſus*, cum alias Sancti Spiritus *Officium* dicatur vel *Didacticum*, vel *Elencticum*, vel *Epanorthoticum*, vel *Paraneticum*, vel *Paracleticum*. De *prioribus* hic pauca recitabimus, ſed *poſteriora* futuræ Diſputationi reſervabimus.

21. Qvod attinet *Specialia Spiritus officia*, reſpectu *textus*, illa ſaltem breviter allegabimus, cum eadem explicare non liceat. *Primum Officium* eſt *Pentecoſtalis Commonefactionis*, quia Spiritus Sanctus vere dicitur ὑπομνήμων, *Joh. XIV. 26.* dum ſemper memoriam verbi revocat, quod etiam Evæ contigit, quæ circa lapſum recordata fuit præcepti, ſeu verbi Dei, ſerpentiqve repoſuit illud, *Geneſ. III. 2. 3.* Spiritus autem Sanctus eſt Verbi Spiritus, & commonefactionem ejus apud homines inſtituit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 00779 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 779

(2) *Officium Pentecoſtalis Inſpectionis*, quia perpetuus vitæ totius Inſpector Spiritus Sanctus dicitur, *Gen.* XLVIII, 14. *Elohim, in cujus conſpectu ambulaverunt Patres mei*, dicit Jacob, & hunc *Elohim* contradiſtingvit Elohim Patri, vel Conſervatori Patri, ſicut & Angelo, vel Elohim Goeli, Secundæ perſonæ Deitatis, adeoque non alius, quam Spiritus Sanctus, intelligitur: ſic etiam Spiritus Sanctus ſupremus in colloquio ſerpentis, & Evæ, vel Inſpector, vel Ephorus erat. (3) *Officium Pentecoſtalis permisſionis*, dum Eva ſuas partes non agit, neque tantum in verbo manet, ſed confidenter addit, & demit, ideo prudens Inſpector eam ſuo genio permittit, cum ipſam crinibus ad religioſum obſequium trahere nolit. (4) *Officium Pentecoſtalis comparitionis*; nam ſicut ex Spiritus Sancti motu pentecoſtales Auditores Actor. II. 37. compuncti ſunt corde, ſic etiam compunctio cordis ſtatim lapſum ſecuta fuit in protoplaſtis. v. 7. (5) *Officium Pentecoſtalis mentis confuſionis*, quia ſtatim aperti ſunt oculi, v. 7. cumprimis mentis, & magnam tum in mente ſenſerunt, tum in corpore *confuſionem* membrorum viderunt. v. 7. (6) *Officium Pentecoſtalis contritionis*, quia corde vehementer contriti, vel etiam conturbati ſunt. (7) *Officium Pentecoſtalis pudefactionis*, quia cognoverunt ſe nudos eſſe, *tum* ab imagine divina, *tum* ab omni perfectione, *tum* à rectitudine virium, *tum* à bonitate vitæ, *tum* à gratia Dei, &c. (8) *Officium Pentecoſtalis deteſtationis*, & *abominationis*, dum ita deteſtati, vel abominati ſunt lapſum, ut, cum medicamenta non poſſent, tegumenta ſaltem invenire vellent, quia conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata. (9) *Officium pœnitentialis adornationis*, quia Spiritus Diei, v. 8. pænitentialem incipit apparatum. (10) *Officium pœnitentialis conſternationis*, quia, dum audiunt protoplaſti peccatores vocem Domini, penitus conſternantur, & in fugam dantur. (11) *Officium pœnitentialis prædicationis.* (12) *Officium pœnitentialis operationis.* (13) *Officium judicialis vocationis.* (14) *Officium pœnitentialis examinationis.* (15) *Officium pœnitentialis convictionis.* (16) *Officium pœnitentialis operationis.* (17) *Officium pœ-*

nalis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 00779 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 779

nalis translationis, quia dum peccatores in Officina pænitentiæ verſantur, pænæ maledictionis, & condemnationis, in caput ſerpentis translocantur, v. 14. (18) *Officium Evangelii prædicationis*, & *Meſsiæ prædictionis*. (19) *Officium Meſsiæ conceptionis*, in ſemine mulieris. (20) *Officium Meſsiæ incarnationis*, quia tanquam ſemen pugnat. (21) *Officium Meſſiæ inſtructionis*, ut virtute Spiritus ſecundum *Humanam Naturam* etiam victorioſe contra ſerpentem pugnare, caput potenter conculcare qveat, ſicut legimus *Eſa. XI. 2. LXI. 1. 2.* qua ratione venit ſuper ipſum in baptiſmo, *Matth. III. 16.* manſitque ſuper eo, *Joh. I. 33.* & ductus eſt ab hoc *Spiritu* tum in tentationes, vel probationes, *Matt. IV. 1. Luc. IV. 1.* tum in Officii Prophetici rationes, vel exercitationes, *Luc. IV. 14.* tum in miraculorum variorum patefactiones, quia virtute Sancti Spiritus miracula Meſſias edidit, *Matth. XII. 28. Luc. XI. 20.* tum in ipſam mortem, & ſacrificialem ſanguinis effuſionem, *Hebr. X. 14.* &c. (22) *Officium Eccleſiæ militantis fundationis*, verſ. 15. (23) *Officium Eccleſiaſticæ armationis*, dum ipſe Solus Eccleſiam viribus ornat, contra ſerpentem armat, ut adverſus poteſtates infernales militare queat, dum non modo Meſſias, ſed etiam mulier adverſus ſerpentem inimicitias ſuſcepit. (24) *Officium fidei donationis*, quia protoplaſti, juxta verbum revelatum, omnia crediderunt, neque verbum, vel dubium ullum repoſuerunt. (25) *Officium fiducialis confortationis*, quia ſolus homo *dolores*, & *ærumnas* omnes, *labores*, & *ſudores*, *afflictiones*, & *tribulationes*, v. 16. ſeqq. in hac miſeria ſuſtinere non poſſet, niſi *Spiritus roboris*, & *fortitudinis*, vires ſuppeditaretur. (26) *Officium continuæ, perpetuæque concertationis*, quia cum vita Meſſianorum ſit vita Militaris, *Job. VII. 1.* & omnes debent eſſe boni milites Chriſti, *II. Tim II. 3.* ubi Paulus Timotheo ſcribit: *Tu feras afflictiones, ſicut bonus miles JeſuChriſti:* propterea Spiritus S. eos animoſos reddit, viribus armat, ſucceſſibus ornat, ut non modo cum Meſſia militare, ſed etiam cum eodem triumphare queant. (27) *Officium vivæ conſolationis*, non in *cruce* modo, ſed in media *morte*, v. 19. (28) *Officium mortis ſubjugationis*. (29) *Officium mortis in vitam commutationis*, v. 20. (30) *Officium vivificæ gloriationis*, v. 20. &c.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 00779 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 779

Corollaria Theolog-Philologica.

I.

Prædeſtinatio & Electio non differunt.

II.

Renati & Electi non ſunt Synonyma.

III.

Indurare & excœcare non niſi judicialiter Deo tribuitur.

IV.

Moſen ante Thaboriticam transfigurationem reſurrexiſſe nimis quam probabile eſt.

V.

Eſ. VII. 15. non bene vertit Tremell. חמאה ודבש יאכל *butyrum & mel faciet commedamus*, melius B. Luther. **Butter und Honig wird Er eſſen.** cum non in Hihel, ſed in Kal.

VI.

Optime Tremell. Malach. II. 16. כי שנא שלח vertit: *Deus odio habet dimiſſionem*, cùm contrario ſenſu omnes aliæ Verſiones exponant.

VII.

Eſ. LIII. 9. במתיו exponi per monumenta ſepulchralia veroſimilius videtur. Vide Hottinger. de Cippis Judæor. & Lexicon Forsteri in primis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 00779 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 779

Ad

CLARISSIMUM ET PEREXIMIUM,

DN. CHRISTOPH. DIETERICUM FRIEDENREICH,

SS. THEOL. CULTOREM SOLERTISSIMUM,

DE

SPIRITUS SANCTI OFFICIO,

Ex Historia Paradisiaca,

PUBLICE CUM LAUDE DISPUTANTEM.

S*ancti Spiritus Officium*, CLARISSIME DN. FRIEDENREICH, AFFINIS, & AMICE DILECTISSIME, noſtræ *fidei principium*, *ſalutis* veræ *promtuarium*, & ſummum *animarum* noſtrarum *Beneficium*. Multis id exponere poſſemus, ſed modo nec *Epiſtolæ* ratio, neqve *brevitas chartarum* id concedit. Hoc unicum allegare modo liceat. *Catholicum* hoc eſſe *Spiritus Officium*, & *Catholicum* eidem ſemper adfuiſſe *fidei*, *ſalutisq́;* *privilegium*. Fuit *Officio* ſuo ſacroſancto Protoplaſtis *fidei*, *ſalutisq́;* *Spiritus*, fuit Idem temporibus *Patriarcharum*, & *Prophetarum*, fuit & Idem ſeculis omnibus *Novi Teſtamenti*. Perpetuus ſiquidem eſt in Eccleſia fidelium Ἐργοδιώκτης, & ratione *medii*, quod *fides* eſt, & ratio *ſcopi*, qui *ſalus* æterna

dicitur,

dicitur, cum ſit *Fidei Spiritus*, II. Cor. IV. 13. & *Spiritus Salutis*, Pſal. LI. 14. De *Protoplaſtis*, & *primis* in orbe fidelibus, id maximè dubium videri poſſet. Sed hoc *Tibi*, CLARISSIME VIR, cordi, curæq; fuit, ut illud evidenter ex *Hiſtoria Paradiſiaca* demonſtratum ires, idqve documentis iſtis publicis, quæ *Cathedra B. MEGALANDRI* non absqve tripudio ſuſcepit. Miratur illa tuum in *curſu Studiorum* laudabilem *ardorem*, dum *curſum* huncce non tam *ire*, quam *currere* cupis. Elapſi *pauci dies* ſunt, ex qvibus hanc noſtram vidiſti *Wittebergam*, & ſalutaſti *B. Lutheri Cathedram. Veniſti, Vidiſti, Viciſti. Veniſti* dies ante non multos *Wittebergam*, *Vidiſti* noſtram *Academiam*, & *viciſti* multos tua *diligentia*, dum jam aliqvoties *Opponentium* partes expediviſti. Nunc etiam inſtar *Reſpondentis Lutheri Cathedram* conſcendis, & *mentis opes* ſatis jam auditas, & *Civibus Academicis* cognitas, abundanter exponis, atque, ceu *Peregrinus diligentiæ* rarum Exemplum Domeſticis relinqvis. Perge, ſicut occæpiſti! Videbit hoc ipſe *Spiritus Sanctus*, cui devotus *hæc ſacra* facis. *Videbit* non modo, ſed & *providebit* huic *induſtriæ* laudatiſſimæ de *facili progreſſu*, de *prædivite proventu*, de *felici proſperitatis eventu*, & de *maximis donis*, ad *ſui gloriam*, *Eccleſiæ* multiplicem οἰκοδομίαν, *Tuorum* (quos Divina Gratia ſibi commendatiſſimos ſemper habeat,) *conſtantem lætitiam*, & *propriam* ad magna contendentis αὐτάρκειαν, ac εὐδαιμονίαν! Hæc *Votorum meorum ſumma. Fiat!* In Nomine Jeſu *Fiat! Witteberg.* d. 25. *Junii.* Anniverſ. *Auguſt. Confeſſ. oblatæ Feſtivitati ſacrato*, cujus *gloriam Deus omnis gratiæ* Nobis faciat perpetuam! *Anno* M DC XCII.

Johannes Deutſchmann/D.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 00779 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 779

JAm TE circumſtant Paradiſi millia ſacra,
Sic Paradiſiacus poſtea Doctor eris!

Affini ſuo Honorando
dabat
M. Abr. Henr. Deutſchmann/
Fac. Phil. Adjunctus.

BEllorum ſcopus & finis *pax* dicitur eſſe,
Tanquam non poſſit *pax* ſine lite dari.
Bella aufer, Domine, & *pacem* poſcentibus affer,
Sic *Friedenreicho pax* ſine *lite* datur!

M. Auguſtus Wolffius,
Lœbejunâ-Saxo.

Ad
CL. DN. FRIEDENREICHIUM,
Jure συντροφίας ſibi devinctum,
EPIGRAMMA.

M*AGNUM PERMAGNI* oſtendis Tu ſtemma CALOVI,
Auguror, Arctoo *MAGNUS* in orbe ſies,
Omine *MAGNUS* eris, poſt famâ *MAXIMUS* Hector,
Nomine *MAJORUM*, qui præivere, *MINOR!*

feſtinanti fundebat calamo
M. J. H. Feüſtking/
Stelloviâ-Cimber.

Forſi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 00779 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 779

FOrſitan Aoniis Lymphis adfûiſſe juvabit?
Roſmaris affaminûm commoda grata feret!
Idqve docet multis Sophiæ ſacrata Corona:
Ex illis primus, Fautor amande, ſies.
Diſſeris è Cathedra, FRIEDENREICH, ore diſerto,
Et ſic dico Dani nomen & omen habes.
Non etenim Cimber pigros imitaris Alumnos,
Romulidûm mores arte capis, ſeqveris.
Eſto meis calidis Votis contentus, id opto:
Inter Doctores quò modò Te inveniam.
Centuplicem laudem tribuo Tibi pectore puro;
Hoc ſaltem fateor: doctus es atque pius!

Paucis his, aſt ex imo Pectore fuſis, Verbis, Clariſſimo, nec non Doctiſſimo Dno. Friedenreich, Conſalino, atque Amico æſtumatiſſimo, eruditionem ejus prorſus ſingularem gratulari voluit ac debuit

Opponens,
M. Gottlob Hirſch/
Spremb. Luſat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 00779 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 779

1.

DEm der Himmel Künſte ſchencket/
Und ein groſſes Pfand vertraut/
Der da ſeinen Geiſt hinlencket/
Wo man lauter Ehre ſchaut/
Den wird auch bey folge Zeiten
Pallas eine Burg bereiten.

2.

Friedenreich/ Jhn muß der Wagen/
Wo ſonſt Fama prächtig fährt/
Schon an Oſt-und Weſten tragen/
Sie ſchätzt JHN der Ehren werth/
Und läſt SEJNE Wiſſenſchafften
Mit in ihren Knoſpen hafften.

Dieſes ſetzte ſeinem Herrn Tiſchgenoſ-
ſen und werthgeſchätzten Freunde
willigſt auff

J. J. Trempen-Au/
aus Dantzig.

(o)

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 00779 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 779

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 00779 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-62 4° 779